

– *Ter pura socios circumtulit unda,  
Spargens rore leui, & ramo felicis Olinae,  
Lustrantq; viros, dixitq; nouissima verba.*

Et alibi,

– *Corpusq; recenti*

*Spargit aqua.*

De qua lustratione per aquam meminit Alexander ab Alexan. lib. Genialium dierum iij. cap. vij. iuxta finem. Sed de asperforio, quod ex fetis confectum crediderim: vt in numo apparet, hæc à nobis dicta sufficiant. Superest nunc vt de sacrificali vasculo aliquid dicamus, & quidem ( vt mea fert opinio ) hæc forma vasis, quæ est in Numismate mihi potius vas, quod est instar lucernulæ, in quo sacra aqua reponeretur, vt populus ea aspergeretur, fuisse videtur. Nam si Lazaro Bayphio, qui de vasculis eleganter libellum conscripsit, credimus, vt viro de re literaria benemerito, & benedocto, idem vas non existimabitur, quod aliqui hoc in numo volunt fuisse simpulum seu simpuium maui Numæ de quo Iuuenalis in vj. cum alia forma sit hæc, quæ est hoc in numismate, ab illa, quæ à Bayphio ponitur de simpulo, & quam ille effingit eo libro, quo tractat de simpulo. quo loco ait etiam à se visam Romæ huiusmodi formam in antiquo marmore, cum lituo. simpulum (iuquit ille) est vas fictile, quo in sacris prolibabant sacrificuli. de quo Plinius lib. xxxv. cap. xij. vbi dicit, in sacris quidem fictilibus, prolibabatur simpuijs. At vt proferam, quæ sentio, memime videre, in aliquibus numis, seu monetis antiquis lulij Cæsaris, eandem formam vasculi, quam ponit Bayphius in suo libello, de vasculis antiquis. nempe simpuium vnà cum lituo, qui transuersalis vasculo fuerat appositus. Hinc ego conijcio, non idem vas esse simpuium cum hoc, quod præsefert fictum nostrum numisma, de quo nunc agimus, sed hoc aliud ab illo fuisse arbitramur, nempe à simpuiuo, hoc ad aspergendâ aquam, illud ad prolibandum in sacris aptum. etiam si legi aliquando aqua prolibatum Dijs, & si scio, nec inficior hæc vascula, omnia ad religionem, ac vsum flaminis ac pontificis parata extitisse, spectauisêque, non autem ad cædendum Elephantem instrumenta, vt quidam malè fenserunt: vel vt alij ad munificentiam, seu quia Cæsar Dictator Elephantes currui supposuisset triumphator existens, dum Capitolium ascendit ad lumina quadraginta Elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus, vt ait Traquillus, in Cæsare Iulio Dictatore. cap. 37. vel vt alij, quod ludis circensibus elephantibus exhibuerit, vt idem refert Suetonius, vel quia infimæ authoritatis, scriptores Spartianus & Seruius dicant, quod peregrina lingua nempe punica Elephas, Cæsar dicatur. ideò Elephantum in numo positum cum nota, C A E S A R. Sed vt eò, vnde digressi sumus reuertamur, sciendum M. Ciceronem (quod etiam ex eo Bayphius refert) in paradoxis scripsisse, Numam vsum fuisse in sacris vasculis fictilibus, quas vocat

urnulas